

& in *c. quamvis*, & *c. si delegatus*, de officio delegati, lib. 6. l. 21. tit. 4. part. 3. l. 35. tit. 18. part. 3. per quæ jura, certissima est, atque indubitata omnium Doctorum conclusio, tam in ipsis, quam in aliis pluribus locis, & pro regula constituunt Bartholomæus Socinus in regula 311. Anton Gabriel communium lib. 2. titulo, de procuratoribus, conclusio 1. §. 2.

Et de ratione superioris regulæ, aut doctrinæ, videbis actum ab Interpretibus communiter, tam in *dict. cap. gratum*, & *cap. relatum*; quam in *dict. l. §. quia*, ubi post alios Antiquiores, & Ordinarios, Curtius junior, & Orosius, Purpuratus etiam num. 110. qui nonnullas rationes assignant & Abbatis traditionem damnatam communiter subliteri posse declarant, & inter Pontificii juris Interpretes multos Felinus Barbacia, & Alciatus eleganter, nec non & Decius numero quinto, in *dicto cap. relatum*. Verè tamen, si Authores omnes originaliter prælegeris, & mentem ipsorum perspicias, omnes rationes in eundem finem tendunt, nec in effectu differunt [aliæ mihi non placent, ideò scilicet, consultòque eas non recenseo] scilicet, delegantis morte re integra, ideò delegati jurisdictionem extinguere, quia cum uti jurisdictione non coeperit delegatus, nullum jus ab ipso acquisitum est, quo in ejus personâ efficaciter resideat, aut illius extinctio impediri valeat, sed tota dicitur penes delegantem residere, atque ab ejus voluntate dependere; tunc autem temporis, ut incipiat, voluntas expectanda non est, quæ ipso delegante defuncto esse non potest, & sic non incipisse uti delegatum, impedimento est, quominus illa eradicari, aut in persona delegati post mortem delegantis manere poterit. Cæterum re non integra, ideò jurisdictione non extinguitur delegante defuncto, quia cum primum jurisdictione delegata uti coepit delegatus ipse, per usum & exercitium [per quæ jurisdictione tanquam jus incorporale acquiritur] eam efficaciter acquirit, & velut suam efficit: idcirco cum sua sit, & voluisse tunc delegantem sufficere, nec alia voluntas, aut voluisse post requiratur, absque facto suo, jurisdictione jam semel in sua persona eradicata, avelli ab eo non debet, ex regula vulgata l. quod nostrum, ff. de regulis juris, & *ultima*, ff. de pactis: qua etiam ratione, si delegatus vices suas in totum alteri commiserit, sive subdelegaverit causam sibi commissam, antequam subdelegatus uti coeperit jurisdictione, vel re integra, subdelegato rebus humanis exempto, eam realiter e potest: sed re non integra, & sic postquam subdelegatus uti coeperit, minimè potest quia ex usu, & exercitio efficaciter subdelegato acquisita fuit, ita procedit textus in *c. quamvis*. 6. & in *c. si delegatus*, 7. de officio de leg. l. 6. ubi Joan. Monac. rectè percipit superiorem rationem in illis verbis: *Cum hisce casibus jurisdictione efficaciter non transiverit in subdelegatum, & aperte probat ille text. dum inquit, cum jurisdictione [ex qua ipsa usus non extitit] non censeatur in eum efficaciter transivisse; qui equidem singularis est in proposito, & pro ratione superioris notandus, non enim sic notatur, nec expenditur ab aliis: idcirco, ex quo eum text. habemus, Pontificiæ rationi adherere, nec aliunde rationes querere, velut necessarii adstringimur, nec amplius licet in hoc immorari.*

4. Inquirere tamen necesse est, quando in delegatione res dicatur esse integra, & delegatus coepisse videatur, vel non coepisse; sive quo facto, aut modo res definat esse integra: & quidem si hucusque Scribentes omnes originaliter, atque ex proposito prælegeris, tres invenies esse in præfato dabo sententias, contrariasque omnino opiniones, de quibus post ordinarios omnes antiquos videndus est Jason, in *d. l. §. quia*, ff. de jurisd. omni. judic. n. 57. & ibidem Socin. n. 75. Orosius n. 26. & Purpuratus n. 111. Imola, Barbacia, Felin. Decius, & Alciat. in *d. c. gratum*, & in *d. c. relatum*. Plerique namque arbitrati sunt, per actum ceteriore citatione delegatam jurisdictionem perpetuari, & sic nedum litem contestationem, sed nec citationem necessariam esse, sufficeretque, quòd delegatus aliter, aut modo quocumque, jurisdictione uti

coeperit. Alii (& magis communiter) ad effectum prædictum, citationem omnino requirunt: nonnulli vero litem contestationem exigunt; nullus autem temerariè, aut sine jure loquitur: primi namque per text. in *dicta l. §. quia* ff. de jurisd. omni. judic. & in *dict. cap. licet undique*, 30. de offic. de legat. juvari videntur, ubi nec citatio, nec litem contestatio exprimitur, sed ut res integra esse definat, dumtaxat exigitur, quòd uti coeperit de legatus, sive quòd res geri coepit fuerit. Secundæ verò opinionis Authores fulciuntur per text. in *d. c. ult. de officio delegati*, & in *d. c. gratum*, ubi citatio requiritur adeò expressè, quòd de mente, aut decisione eorum duorum jurium aliter inquirere, vel aliquo modo interpretari ea, nulla ratio patitur. Tertiæ denique opinionis Authores, non adeò à veritate, aut iurismet ipsius dispositione deviant, ut pro se non citent text. expressum in *d. c. relatum*, de officio de leg. quo in text. ultra verba, quæ apud nos communiter reperiuntur, aut in vulgaris codicibus, & Decretalibus Pontificum traduntur, & alia in integra adjiciuntur, quæ magis enixam voluntatem Lucii III. circa requisitum litem contestationis offendunt; ille namque non modo verbis vulgaris, & litem contestationem exigentibus contentus est, sed post illa verba, non est à iudicibus quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum, quibus apud nos text. contextura aut litera finitur: sic & ulterius scripsit. *Poterit ergo in eo casu ap. cess. procedi, in quo ante mortem mandatoris litem fuerit per narrationem & responsionem contexta: Ubi autem mors mandatoris litem contestationem præcesserit, penitus subsistat, sive fuerit, sive non fuerit ad ob interjectum.* Et hæc tenet ille text. ut constat ex integra ipsius, de qua Anton. Augustin. Episc. Herden. collect. 1. Decret. lib. 1. tit. 21. de off. §. pot. jud. deleg. c. 2. fol. mibi, 19. in fine. Apud omnes tamen tam Pontificii, quam Cæsarei juris Interpretes, secunda sententia magis obtinuit [quæ & verior est, & communior] ad effectum delegatæ jurisdictionis perpetuandæ, citationem sufficere, per duo jura allegata supra, quæ vitari non possunt, nec aliorum solutiones, aut interpretationes ad ea admitti, ut rectè, & cum iudicio probavit Decius in *d. c. relatum*, n. 5. Jason etiam in *d. l. §. quia*, n. 57. in vers. *Breviter communis sententia est.* Id autem, quod verè pendet ex dictarum Decretalium intellectu, nec dilucide satis apparere, nec etiam securè probari poterit, nisi prius de ipsarummet interpretatione tractetur. Qua in re, facile ego possem, & novis quidem atque concludentibus rationibus, ab aliis hucusque excogitatis intellectus subvertere, si in his, quæ necessaria non sunt, & prætermitti possunt, insistere, ab instituto, & conditione mea non ita graviter abhorreret: si etiam non viderem, ab eisdem traditis hæc tenet interpretationes hallucinari quidem, nec præfatis Pontificiis constitutionibus satis convenire. Item, si assequutus non cessem, jam jam post hæc à me scripta, sicque ex professo elaborata, omnes in futurum mirari debent, Doctores omnes communiter, tam recentiores, quam antiquos in explicandis, atque componendis duobus juribus torqueri, & insistere, quæ verè componi non possunt, utpote, cum duorum Pontificum contrarias omnino in eadem re decisiones contineant: cætera autem jura, quæ ad præsentem materiam spectant, non sic dilucide, atque distinctè declarasse, ut certam nobis in futurum resolutionem, aut absolutam doctrinam relinquere, nec probari posse Joannis Orosii n. 26. & Francisci Purpurati n. 111. interpretationem in *d. l. §. quia*, traditam; distinctio namque illa, an delegatus mortis delegantis conscius sit, vel ignarus, ut citatio sufficiat, vel non sufficiat, evincitur manifestè ex natura dictionis, maxime, quæ in *d. c. gratum*, apponitur, & implicativè, non taxativè accipitur. Item per claram decisionem text. in *d. c. ultimo*, de officio legati, in quo simpliciter citatio requiritur, nec ultra aliud exigitur, aut exprimitur.

Quocirca ut certissimam ego, atque absolutam in hac re traderem resolutionem, utque in futurum dubitandi amplius de prædictis, atque de intellectu præfatorum jurium occasionem submoverem, longa equidem à me præhabita

præhabita consideratione, atque Scribentium originali, & attenta lectura, sequentia constituit, adeo necessarium duxi, ut nihil eorum prætermitti potuerit.

Et in primis constituo, de jure civili certum esse (quamvis à nullo hæcenus sic animadversum) nullibi expressum fuisse, utrum ad delegatæ jurisdictionis perpetuationem, litem contestatio, an citatio necessaria sit, vel actus ceterior etiam citatio sufficiat, quamvis nec citatio, nec litem contestatio interveniat; dumtaxatque in proposito esse text. in *dicta l. §. quia*, ff. de jurisd. omni. judic. ubi in hunc modum scribitur: *Idcirco eodem jure civili attentò, mirum non esse, quòd Interpretes communiter, & varii, & contrarii exiterint. utpote cum nullum, aut certum aliquod responsum invenerint, quo rem hanc diffinire audacter valuerint; namque, ut vides, in *d. l. §. quia*, dumtaxat expressum est: *An res ab eo, cui mandata est jurisdictione, geri coeperit, nec aliter declaratur, sive non aperitur, quando res geri coepit dicatur, vel qui actus, contestationis, inquam, aut citationis, ad id efficiendū, necessarius fuerit: taciturnitas ergo jureconsulti, tot ambagibus, atque contrarietatibus occasionem præstitisse videtur; qui tamen, si amplius suam sententiam, aut intentionem expressisset, atque declarasset, nec tot extitissent contrariæ diversæque sententia, nec etiam forsitan, ut ego credo, Lucius III. & Urbanus III. Pontifices Maximi sic contrarias constitutiones protulissent.**

7. Deinde & secundo constituo, Innocentium III. in *cap. licet undique*, 30. de off. §. pot. judic. deleg. eodem loquendi modo usum fuisse in tractatu delegatæ jurisdictionis, ejusque perpetuatione, quo Jureconsultus Paulus in *d. l. §. quia*, antea usus fuerat, & dumtaxat inquirere, an delegatus uti coeperit jurisdictione, vel non coeperit ante mortem delegantis, non verò exprimere (sicut nec Paulus expressit) per quem actum, citationis, inquam, contestationis, vel alterius, dicatur delegatus uti coepisse. Quod negari non potest ex verbis ejusdem textus, ubi: *Inquisitioni tuae taliter respondeamus, quòd si jurisdictione à suo sibi collega delegata, ac vivente uti non coeperit, quia mandatum hujusmodi re integra morte mandatoris expiravit, non habet solus officium judicandi; si vero ante mortem illius jurisdictione uti coeperit taliter demandata, vices suas, & illius poterit adimplere.* Eodem

8. etiam modo in subdelegato distinguit Bonifacius VIII. in *c. quamvis* 6. in *c. si delegatus* 7. de officio delegati, lib. 6. nec exprimit per quem actus res geri coepit dicatur: quod in *d. c. quamvis*, apparet aperte, dum dicitur: *Quamvis alicui vices tuas in causa tibi à sede Apostolica delegata, in totum commisisse noscatur, si tamen antequam ille jurisdictione usus fuerit, commissio hujusmodi per te revocetur ab ipso, vel eum rebus eximi contingat humanis, causam ipsam reassumere poteris: cum jurisdictione (ex quo ipsa usus non extitit) non censeatur in eum efficaciter transivisse. & in *d. c. si legatus*, constat etiam manifestè, dum dicitur: *Si delegatus quoties eum abesse contigerit, tibi commiserit vices suas; poteris, eo rebus humanis exempto (cum §. tunc censeatur abesse) commissum tibi negotium (dum tamen illo vivente jurisdictione uti coeperis) libere diffinire.* Pontifices ergo præfati (nec absque maximo mysterio, ut credo) magis sententiæ Pauli accedere, sive modi loquendi ejusdem sectatores potius, quam ipsius declaratores, aut novitatis alicujus introductores esse voluerunt, & sic rem hæc non satis clare decisam reliquerunt, sed ambagibus etiam præfatis occasionem tribuerunt, nec aliquid in prædictis juribus ultra Paulum Jureconsultum adjeperunt.*

Præterea & tertio constituo, Urbanum III. Pontificem maximum in *d. c. gratum*, de officio delegati, idem etiam dixisse, quod in præfatis antea juribus Romani Pontifices alii dixerunt, nempe ad perpetuandam delegati iudicis jurisdictionem, sufficere quasi coepit

tum esse iudicium; ipse tamen addit unum, quod in eisdem juribus expressum non fuerat, videlicet citatione facta, quasi coepit videri negotium; & sic per text. in *d. c. gratum*, declaratur text. in *d. l. §. quia*, ff. de jurisd. omni. judic. & in *dict. cap. licet undique*, cum similibus; quando, inquam, res geri coepit dicatur, declaratur etiam per textum in *cap. ultimo*, de officio legati, ubi Gregorius IX. perfectè rem hanc declarat, & citationem expressim requirit, nec nobis perplexitatem relinquit, sed in fine textus in hunc modum scribit: *Secus autem si causas duxerint delegandas aliquibus, cum jurisdictione ipsorum expiret, si ante illorum discessum, horum citatio non præcesserit.* Idque rectè assequutus videtur Jason in eadem lege, & *Quia*, num. 57. versio. *Breviter communis sententia est; dicens, quod per text. in *dict. cap. gratum*, & in *dicto cap. ultimo*, declarantur *dicta lex §. quia*, & alii similes textus, quando scilicet res coepit geri dicatur; alii vero, & quamplures Authores decipiuntur aperte, qui dum intendunt decisionem *d. c. gratum*, & *d. c. ultimi*, vitare, Gregorius IX. mentem manifestè subvertunt; ut Decius in *d. c. relatum*, n. 5. eleganter, & vere probavit, & quorundam interpretationes cum iudicio damnavit.*

Quarto constituo, ex textu in *d. c. gratum*, de officio delegati, non obscure deduci, iudicium proprie dici, sive incipere à litem contestatione, non verò à citatione; nam dum dicitur, *Citatione facta quasi coepit esse negotium*, clare innuitur, iudicium proprie non dici coepit ab ipsa citatione, sed improprie; & ita intelligitur, & declarant Castren. in l. 1. n. 4. C. de iudicis. Decius in rubrica, eod. tit. lectura 2. n. 1. & communiter omnes secundum Curtium in rubric. ff. de iudicis, n. 11. D. Paz, in praxi, annotatione 1. de iudicio, n. 39. Deinde, Lucium III. Pontificem Maximum in *dec. relatum*, de officio delegati, ut delegati jurisdictione perpetuetur, adeo clarè litem contestationem exigere, quod ejus decisio, nulla ratione, neque interpretatione possit subverti; fortassis hoc ideo, quod ipse Pontifex crederet, non sufficere quasi coepit esse negotium, quod per citationem quasi coepit dicitur, ut in *d. c. gratum*: Sed verè coepit esse, & sic litem contestationem præcessisse, necessarium existimaret; idque vel ideo introduxisse, quod jus civile, sive textum in *d. l. §. quia* corrigere vellet, & novū jus introducere, vel quod credidisset, ita jus civile, textumve in *dicta l. §. quia*, accipendum, ut litem contestatione requireretur ab eodemmet jure; utpote, cum à litem contestatione proprie incipiat iudicium, ut dictum remanet; & in eadem *l. §. quia*, dictum non fuerit, sufficere quasi coepit esse iudicium, sed an res ab eo, cui mandata est jurisdictione, geri coeperit; Paulus dicat; res autem proprie, & verè à litem contestatione geri coepit dicatur, ut supra probavimus.

Cæterum Urbanus III. in *d. c. gratum*, aliter equidem sensit, & vel emendare Lucii III. responsum in *d. c. relatum*, contendens, sive declarare volens, malè Lucium ipsum intellexisse de jure civili, sive ex decisione *d. l. §. quia*, non alias rem geri coepit à delegato dici, quam si litem contestatio præcedat, de novo induxit, sive ex declaratione, atque interpretatione *d. l. §. quia*, tradidit in eo loco, à citatione quasi coepit videri iudicium, & ad effectum perpetuationis jurisdictionis delegatæ id sufficere, nec litem contestatione necessariam esse, ut Lucius III. arbitratur, cujus constitutionis non inemor neque ignarus, ejusdem potius memor Urbanus ipse, illam correxit atque emendavit, & sola citatione perpetuari jurisdictionem respondit. Verè ergo negari non potest, quin text. in *d. c. relatum*, litem contestationem exigens, correctus sit per text. in *d. c. gratum* ex cujus integra non obscure id colligitur, sed potius deducitur aperte; in ea namque ultra vulgata, aut ordinaria verba, quæ communiter in *d. c. gratum* traduntur, adjiciuntur & alia, quæ si in vulgaris codicibus apposita fuissent, tantæ dubitandi occasio locus relictus non esset: & in versio. *Et utrum is intelligatur*, post verbum illud, *Petit sol-*